

dare pluribus et plus quam petatur aut opus sit.

Tertio, ut commendaret eleemosynæ virtutem quæ semper plus a Deo recipit, quam exponat. Testis vidua Sareptana quæ pro pugillo farine et olei recepit ab Elia hydriam plenam. Testis Salomon, Prov. III. *Honora, inquit, Dominum de tua substantia et de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus: et implebuntur horrea tua saturitate et vino torcularia tua redundabunt.* Idem indicavit Dominus in parabola decem mnarum, Luc. XIX. quando dixit: *Omni habenti dabitur et abundabit, ab eo autem qui non habet et quod habet auferetur ab eo.* Quis est qui habet? Qui pauperi quidquam poscenti respondit: Habeo. Quis est, qui habens non habet? Qui cum habeat, pauperi dicit: Non habeo. Habet enim perinde quasi non habeat, quia non utitur nec audet uti, seu dare ad mensam pauperum, cum senore recipiendum.

Quarto, duodecim cophinos, ut quivis apostolus haberet gestandum corbem vel in muletam diffidentiae vel in signum evangelii ab eis prædicandi per orbem.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

STIMULI AD FREQUENTEM COMMUNIONEM.

I. Primus, Christi institutio. — II. Secundus, nostre indigentia. — III. Tertius, fructus maximus.

THEMA.

Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.
Joan. VI.

Vidimus hactenus triplices bestias e diversis speciebus Christo servientes; quarta autem desideratur, estque voluerum. Hæc nobis afferre panem debet pro hodierno evangelio. Sed ubi talis avis? Non reperio nisi corvum, qui sicut Eliæ prophetæ et Paulo eremitæ quotidie panem attulit: ita nobis afferet panem eucharisticum. Illis, ut dixi, quotidie terrenum panem attulit: utinam nos vel singulis mensibus de pane cœlesti participaremus! Sed quid mihi cum corvo, inquis, quid cum tam frequenti communione? Nescis, miser, famem et inediam animæ tuæ: nescis hujus panis utilitatem et præstantiam; alioquin hoc non diceres. Certe panes illos duos, quos in hodierno evangelio Christus apposuit, mirum in modum sapidos necesse est fuisse; siquidem convivæ rapere suum hospitem, et constituere regem voluerunt. Multo præstantior est panis,

X. Cur turba voluit eum regem facere? Resp. Quia cum carnali sensu expectasset Messiam regem, qui eos omnibus bonis, et divitiis imprimis abundare faceret, Christum hunc fore credebant. Unde in Græco textu dicunt: *Hic est vere ille propheta: nempe Messias noster tamdiu expectatus.*

XI. Cur fugit a turba Christus? Resp. Primo, quia non venit in mundum, ut hic regnaret, sed ut per tribulationes viam sibi ad regnum cœleste sterneret.

Secundo, quia ipsius est dare regnum, non accipere ab hominibus.

Tertio, quia noluit seditioni causam præbere, quæ haud dubie orta fuisset, si in regem electus fuisset; quid enim Romani dixissent?

Quarto, ut doceret nos honores et dignitates, non ambire sed fugere potius; præsertim quando electores, vel non sobrii, vel beneficiis deliniti sunt uti erant isti.

quo nos cibatur Dominus in s. eucharistia. Tria autem fuerunt illius condimenta, quemadmodum etiam tria præcipue sunt, quæ nos ad frequentem communionem invitant.

I. Primus, est Christi institutio, qui primo, *desiderio desideravit hoc pascha manducare nobiscum; reliquitque nobis seipsum in hoc sacramento, in signum amoris erga nos, quo avet non modo nobiscum et inter nos habitare, sed nobis etiam intime uniri et incorporari ut quasi una caro et una anima cum ipso fiamus.* Et quia amans non vult cogere, sed suaviter allucere, ideo comiter nos invitat: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem, quasi dicat, non mando quidem; placet tamen si multoties id faciatis.* Cum amasset Jonathas Davidem sicut animam suam, ex parte autem Davidis non videretur amor iste futurus stabilis, cum ipse esset vilis pastoreulus, Jonathas autem filius regis, quid egit? Expoliavit se vestimentis et armis suis, etiam usque ad militare cingulum seu balteum, induitque eis Davidem, I. Reg. VIII. Quis hic dubitat, quin David in eo sibi vestitu vehementer placuerit, eumque magno in honore habuerit, adeoque crebro induerit, quasi esset alter Jonathas? At Christus ad contestandum nobis amorem suum, seipsum no-

bis dedit, ut ipso quasi induti alter ipse quasi appareamus: et sicut prius incarnatione se nostri amore exinanivit, servusque factus est: ita se in hoc sacramento rursum exinanire voluit, ut nos exaltaret, sibi que uniret, et in se quasi transformaret. Ita in vita S. Elisabethæ, 19 Novemb. legimus. Cum ipsa ex Hungaria ad Ludovicum Thuringiæ principem evocata fuisset, ut fieret ei sponsa, quosdam aulicos de ejus erga sponsam amore cœpisse dubitare, an vellet eam ducere: eo intellecto princeps Wargila dixit se plus quam vicinum montem, si totus aureus esset, diligere Elisabetham sponsam. Et Waltherus: *Peto, Domine, ut hoc ei possim nuntiare.* At ille dulciter: *Dic ei, inquit, et pro signo, quod sibi transmisero, præsentato, proferensque de bursa sua dedit nobili illi, quod apud se habebat, speculum duplex æneis inclusum sedibus, una parte simplex vitrum, et in altera imaginem præferens crucifixi.* Id a nobili s. virgo suscepit caute, et jucundo cum risu gaudium inde conceptum propalavit. Poteramus nos multo magis dubitare, an revera velut sponsas suas diligeret nos Christus, sibi aliquando desponsandas, quia nos peccatores eramus, ille sanctus sanctorum erat. Quare non dubitaremus, ecce reliquit et donavit nobis admirandum, idque duplex speculum, species panis et vini, in quibus ipsum non intueri tantum, sed revera etiam habere præsentem, et sumere possemus, in iisque memoriam passionis et crucis contemplari. Quando igitur a tam chara manu tam nobilis sponsi nostri donatum est hoc nobis monile, nonne nostrarum est partium eo frequenter uti: sicut dubium non est Elisabetham in eo speculo non se, sed sponsum suum, simulque crucifixi imaginem sæpissime contemplatam esse? Quod si hoc memoriali raro admodum utamur, quomodo Christum amamus? Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? ait Dalila Samsoni, Jud. XVI. Quomodo non amamus eum, qui amore nostri crucifigi voluit?

Secundo dedit illud nobis in memoriam passionis suæ aliarumque gratiarum, quas contulit, ut quoties id sumimus, earum memores simus. At nonne æquissimum est, ut qui magnum aliquod beneficium accepit, crebro id meminerit, imo commemoret et gratias agat? Quid fecerunt Ægyptii, ut gratos se exhiberent Josepho, qui eis præsentem septem bovum pinguium et totidem sterilium prædixit venturam annonæ vilitatem et caritatem; providitque Ægyptiis ut famis tempore vivere possent? Multi sunt, qui tradunt coluisse eos Josephum post ejus mortem, velut

deum sub nomine Serapis, ejusque in memoriam bovem unum albis maculis distinctum velut sacrum et divinum aluisse, et delicatissime quidem, eique mortuo alium semper superstitisse, ut refert Cornelius a Lap. Gen. LI. Idem Ægyptii, quia sole signum leonis transeunte inundat Nilus, et totam pene Ægyptum fœcundat; (deficientibus nimirum pluviis) leoni beneficium acceptum referentes, omnes canales, tubos, siphones, qui aquam per terebrata foramina eructant, in leonina capita efformari, fundi et sculpti fecerunt, ut quoties homines inde aquam biberent, toties beneficii inundationis Nili, adeoque auctoris leonis, memores gratosque se exhiberent, Sidon, epist. I. At quanto majora beneficia accepimus a Christo, accipimus quotidie sumendo ejus corpus et sanguinem? Frequenter igitur oportet ex fonte hoc salutis aquam haurire; est memoriale passionis Domini; unde eucharistia, id est, *gratiarum actio* appellatur.

II. Secundus, indigentia nostra. Primo, ob continuum animæ nostræ decrementum. Sine pane materiali corpus, et sine hoc pane anima diu non subsistet, sed brevi contabescet, ac viribus destituta cadet in varia nec parva peccata. Quamobrem hunc potius quam illum panem petere nos jubet Christus in oratione Dominica, tamquam magis necessarium, ut vult S. Cyprianus, in exposit. orat. Domin. Ideoque Matth. VI. *supersubstantialis*, qui a Luca XI. *quotidianus* appellatur; e quo sequitur panem illum supersubstantialem nobis quotidianum esse debere. Unde S. Ambr. I. V. de sacramento, c. IV. ait: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis?* Eadem de causa panis indigentiae appellatur a Severo patriarcha Alexand. lib. de tribus baptismis. In hunc sensum accipiunt patres aliqui etiam locum Psalmi CI. *Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Quis proprie panis meus vel noster, nisi eucharisticus? Materialis enim panis non est ita noster, ut non sit etiam gentiliū, Judæorum, imo etiam brutorum animalium, uti canum, murium, etc. Unde Cyprian. ibi ait: « Panis vitæ Christus est, et panis hic omnium non est; sed noster est: et quomodo dicimus, Pater noster, quia intelligentium et credentium pater est: sic et panem nostrum vocamus, quia Christus noster, quia corpus ejus contingimus, panis noster est. » Jam sicut fenum seu graminis exarescit, si per multos dies pluviam de cœlo non bibat, solis interim radiis frequenter uratur: ita anima nostra, nisi subinde reficiatur pane suo, æstu concupiscentiæ identidem vexata sensim contabescit, aret,

et in peccatum concidit. Mirum quid scribit Palladius Ægyptius episcop. Helenopolios, in historia Lausiaca, cap. XIX, de quodam libidinis mancipio Ægyptio, qui cum non posset frui uxore aliena eaque casta, per præstigiatores effecit, ut marito suo videretur esse equa. Sic ergo transformata ad speciem, cum toto triduo nil comedisset, neque panem neque fœnum, ducta est a marito ad S. Macarium Ægyptium, qui statim eam esse mulierem agnovit, et aspersam aqua benedicta restituit sibi, ut ab omnibus nosceretur esse femina. Cumque eam dimisisset, admonuit eam: « Nunquam Ecclesiam Dei deseras, nunquam abstineas communionem Christi sacramentorum. Hæc enim tibi acciderunt, quod jam quinque hebdomadis non accessisti ad intemperata nostri Servatoris sacramenta. » Eodem fere modo contigit, ut qui diu valde a s. communionem abstinent, tandem bestiales mores induant, et Christiani imo homines esse desinant. Pius et frequens usus sanctæ eucharistiæ corrigat hoc malum: *Sedat enim cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem*, ait Cyrill. I. IV. in Joan. XVII. Hinc bene Christus inscendens in naviculam post hodiernam refectioem, de nocte super mare ambulans sedavit tempestatem maris: quia cum idem pers. communionem, crebro præsertim sumptam, ingreditur cor nostrum, compescet et in nobis concupiscentiæ malæ fluctus.

Secundo, ob continuos conflictus cum dæmone, mundo, carne. Est in Indiæ finibus, ait B. Petrus Damianus, II. epist. epist. XVIII. arbor, quæ Græco *predaxion* vocatur, cujus utique fructus nimis dulcis, et valde suavis. In hujus igitur arboris gratia columbæ non modice delectantur, cujus nimirum eas et fructus reficit, et umbra defendit. Teterrimus enim draco ferali eas immanitate persequitur, et cruenti gutturis barathro inhiantes absorbere molitur. Sed sicut columba draconem: ita nihilominus draco formidat eam, quam prædiximus arborem, sed præcipue timet umbram, ita ut si umbra fuerit a parte arboris dextra, illa licet procul fugiat ad sinistram: quod si umbra cernitur in sinistra, ille vertitur ad dextram. Donec ergo columbæ sub arboris illius umbraculo fuerint commorantur, nullis eas crudelis illa bestia valet insidiis lædere: alioquin si procul eas invenerit, sine ullo contradictionis obstaculo repentinus invadit. « Talis arbor Christus est, in cœlo quidem fixa, quæ tamen umbram suam, ut sic dicam, in terram projicit in s. eucharistia, in qua occulte et quasi in umbra latet. Draco ille stygius continuo nobis insidias tendit, nec alibi tutius asyllum repe-

rimus, quam in umbra ista, ad quam accedere non audet. Nos ergo si salvi esse volumus, procul ab hac umbra ne discedamus, sed frequenter ad eam recurramus. Dicamus quod illi Thren. IV. *Spiritus oris nostri Christi Dominus, cui diximus: In umbra tua vivemus.*

Nihil videtur facere contra hostes mensa: similiter et panis cum gladio commune nihil habere. Quis enim non rideretur, si hoste ingruente vellet sedere ad mensam, vel panem arripere pro gladio? Et tamen Psal. XXII. audimus: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Et Jud. VII. Panis devolutus videtur evertere castra Madianitarum, de eo namque dicitur: *Non est hic aliud nisi gladius Gedeonis*; quia nimirum mensa illa et panis ille eucharistiam designabant, evertentem castra hostium nostrorum, et in nihilum redigentem. Sed quæ est hominum miseria! Qui minus indigent hoc pane, frequentius eum sumunt et acquirunt: qui maxime egent, rarissime accipiunt.

III. Tertius est maximus fructus, quem inde habemus. Nam primo sensim hominem perficit et in ipsum Christum quasi mutat. Clarum est eos, qui delicatis cibis aluntur, delicatum acquirere sanguinem et corporis complexionem. Ita Nabuchodonosor ephebis suis decrevit cibos regio a mensa sua, Dan. I. Oves et boves in nobilibus pascuis nobiliores acquirunt carnes: par ratio de spiritu. Quidni igitur illi, qui nobilissimo hoc cibo constanter aluntur, acquirant etiam conscientiam et animam tenerrimam, nobilissimam? Hinc primi Christiani tam sancti, tam a gravibus peccatis alieni, tam ad martyria parati et invicti; quia vel quotidie, vel frequentissime saltem communicabant, cum nos jam tam fragiles simus: quia in hac mensa rari. Ad hæc quemadmodum vir præpotens, qui divertit ad domum pauperis, non facile discedet, quin gratiam aut munus aliquod pauperi impertiat: ita multo minus discedet a nobis sine munere Dominus noster ditissimus et munificentissimus. Ubi enim is aliquando domum ingressus est sine aliquo munere? Ubi non vel ægros curavit, vel peccata condonavit, vel præclaram instructionem dedit? Porro domum Marthæ, ubi frequenter divertit, omnino sanctam effecit, ita ut Martha, Magdalena soror, et frater earum Lazarus omnes eximiam sanctitatem acquirerent. Certum quoque videtur digna sumptione sacramenti deleri peccata venialia, et quodammodo mortalia ex accidenti, si quæ confitenti in mentem non venerunt: condonari etiam penas aliquas; præservari hominem a gravioribus lapsibus aut crebrioribus, augeri gratiam, etc. Ad hæc quis non

crebro invitaret eum, a quo se aliquando judicandum sciret, ut eum sibi amicum faceret? Quis non humanissime tractaret? *En adest iudex tuus*, ait S. Bernardus, s. eucharistiam monstrans comiti Guilielmo, prius refractario, tunc vero ea terribili inerepatione consternato, et ad penitentiam disposito.

Secundo, præclarum subsidium est ad perseverandum in gratia; unde frequens usus eucharistiæ signum aliquod electionis est: quia de causa, teste S. Hieronymo, vocatur a Zacharia c. VIII. *frumentum electorum*. Celebrat Plinius, I. XXIV. c. XVII. herbam nomine theombrotion, quæ et semnion a potentiæ majestate appellatur. Ea pavonis picturis similis, odore eximio, a Persarum regibus comeditur aut bibitur contra omnia corporum incommoda, instabilitatemque mentis. Talis herba eucharistia est, omni pulchritudine et suaveolentia plena: ea cibus regum est, quia reges facit, potentes ad subjiendum sibi carnem, mundum, dæmonem; si tamen frequens sit. Unde merito de illa in spiritu vaticinatus putatur Jacob in benedictione Aser filii sui: *Aser pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus*, Gen. XLIX. Valet etiam contra omnia animæ incommoda mentisque instabilitatem, sensim confirmans eam in gratia. Unde Rupertus ibi: « Præbebit delicias regibus Aser, id est, eis, qui semetipsos student regere, ut sint digni mensa regalis cœnæ: delicias præbebit regalis alimonie eucharistiam porrigendo. »

Tertio lignum vitæ typus eucharistiæ fuit. Ex eo qui edissent, mortem non incurrisset, sed vires debilitatas reparasset, quoties gustasset; debebant tamen, ut immortales essent, sæpius inde comedere, de veriore sententia; quia vis ejus naturalis adeoque limitata erat. Pari modo eucharistia reparat vires animæ, et immortalem ac moralem impeccabilitatem tribuit, sed frequenter sumpta. Manna itidem typus eucharistiæ fuit, quo effectum inter alia, ut vestes Hebræorum non veterascerent, nec attererentur, Deut. VIII. quo aperte significatum, per manna eucharisticum tribui nobis gratiæ et gloriæ stabilitatem; verum uti manna quotidie (sabbato dempto) colligi et sumi debuit: ita eucharistia crebro digneque sumenda est, si eo fructu gaudere volumus. Mithridatico postquam quotidiano esu assuevisset rex Ponti Mithridates, adeo naturam suam contra venenum armavit, ut sine noxa id tandem biberet; et cum in potestatem Romanorum venisset, eo se occidere non posset, si Plinio credimus, I. XXV, c. II. Talis est eucharistia sic muniens contra peccatum, ut in mediis peccandi occasionibus constitutus aliquis

minime inficiatur: imo moraliter loquendo peccare nequeat, tametsi illum occidere velles, vel integro regno donare.

Jam vero quis non desideret esse filius regis? Non esse invulnerabilis? Non cupiat immortalitatem? Ecce tibi hæc in frequenti usu eucharistiæ. Sed finem volumus, media nolumus: parati sumus metere, sed non seminare: pira comedere, sed arborem non ascendere. Dicunt omnes cum Balaam: *Moriatur anima mea morte justorum, etc.* Et cum illo discumbente: *Beatus qui manducabit panem in regno cælorum.* Sed cur non vivimus et communicamus cum justis? Cur panem illum nobis non efficitur quotidianum? Veniat igitur corvus, veniat Dei minister, e cujus manu panem illum frequenter accipiamus singulis saltem mensibus, ut eo confortati pervenire possimus ad panem beatorum.

CONCIO II.

PRÆPARATIO AD S. COMMUNIONEM.

I. Recordatio passionis Domini. — II. Prævia penitentia. — III. Fuga vitiorum, et exercitia virtutum. — IV. Pia præmeditatio.

THEMA.

Erat autem proximum pascha, dies festus Judæorum. Joan. V.

Sapientissimo consilio præmisit Christus hoc miraculum tempori paschali, uti scribit Joannes. Debet enim typus ipsam, cujus typus est, rem præcedere. Refectio autem ista typus fuit s. cœnæ ultimæ, ut docet Origenes, cap. XIV. in Matth. ideoque paulo ante pascha a Christo exhibitum est. Demonstrat idipsum primo similis conficiendi ritus; secundo materia, quæ ex alio mixto vel elemento conversa est in panes; tertio integritas, dum post omnium satietatem superfluerunt cophini duodecim; quarto sufficientia unius speciei, panis scilicet, qui potum supplevit; quinto fructus, quo turbæ Dominum agnoverunt, et regem facere voluerunt; denique prævia dispositio, quæ cum subtili penicillo depingatur, eam nos declarare conabimur, velut maxime scitu necessariam.

I. Abiit trans mare Christus, et sequebatur eum multitudo magna: mare, quia amarum et vastum, passionis dominicæ typus est. Mare ergo trajicimus, cum passionem Domini rememoramus, quod sane in s. communionem facimus, juxta id I. Cor. XI. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis*; facto ipso scilicet dum s. cœnam ab eo in memoriam

passionis institutam cum vera fide et gratiarum actione participamus. Ergo omnes Christiani tempore imprimis paschali hoc mare transire debent; quemadmodum et Hebræi omnes mare transierunt, I. Cor. X. rubrum scilicet; quod ipsum typus erat sanguinis Christi, effundendi super nos; ac si quis id non transisset, absque dubio in gladium Pharaonis incidisset, periissetque. In memoriam illius transitus vult S. Aug. tr. LV. in Joannem, præceptum fuisse Judæis a Deo phase comedendum paschali tempore Jam vero phase etiam ab omnibus Israelitis, qui in itinere non fuissent, absentibus comedendum erat, Exod. XII. *Omnis cæcus filiorum Israel offerret illud.* Intermittere capitale erat, quia Num. IX. dicitur: *Exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo: ipsa peccatum suum portabit.* Bone Deus! Si tanti erat figuram nostri paschalis annuatim celebrare, et beneficium, quo Hebræi per mare rubrum evaserunt Pharaonem, recolere, nonne longe magis exterminandi et damnandi erimus, si memoriam passionis Domini, per quam e diaboli laqueis liberati sumus, et Agni immaculati, pro nobis immolati, memoriam non celebremus eo tempore, quo et immolatus est, et a Christo in cœnam datus, et ab Ecclesia sumi jussus est.

De discumbentibus ad hanc refectionem dicunt tres evangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas: *Manducaverunt omnes, et saturati sunt:* idem nunc dicatur de Christianis suum pascha celebrantibus: *Manducaverunt omnes;* ne unus quidem defuit.

II. Prius curavit languidos qui erant in turba, ut habet Matthæus, c. XIV. et Lucas, c. IX. ut doceret prius sanandos esse peccatores per pœnitentiam, quam ad mensam Domini accedant; siquidem hoc sacramentum vivorum et benevalentium est, non mortuorum aut languidorum. Et sicut cibus sanorum nocet ægris: ita eucharistia malis. *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi,* ait apost. I. Cor. XI. Unde enim fit, ut plerique post sacram communionem adhuc tam infirmi, tepidi, fragiles sint? Cur cibo illo non impinguantur et roborantur? Cur non velut leones ignem spirantes, et diabolo terribiles, ut requirit S. Chrys. ho. LXI. ad populum, recedunt? Nisi quia languidi cibum validorum comederunt. Confessionem obiter fecerunt et neglectim, sine accurato examine, sine dolore serio, qui est contritio, sine firmo proposito emendationis. Confessoriorum consiliis non acquiescunt, peccandi occasiones non vitant. Manna Hebræorum, quod fuit typus eucha-

ristiæ, panis angelorum appellatur, Ps. LXXVII. Hebr. panis abarim, h. e. fortium. Ergo angelorum instar puri et fortes esse debent, qui cum fructu sumere manna nostrum volunt.

III. Subiit in montem, ut habet Joannes: quo indicaret altius adhuc ascendendum nobis esse, si digne et fructuose communicare velimus: nimirum eo ad laborandum, ut defectus etiam veniales per pœnitentiam expurgemus, et ante communionem vitemus, operaque insuper pietatis et satisfactionis addamus. Tametsi enim venialia peccata non excludunt totum fructum communionis, nec omnino indignos reddunt: copiam tamen gratiarum valde restringunt, favorem etiam charitatis imminuunt, et devotionem digno accessui consentaneam tepesciunt. Hoc nobis etiam Christus ante institutionem s. cœnæ inaudito humilitatis exemplo insinuavit, dum prius discipulorum pedes lavit; tametsi eos lotos jam esse non diffiteretur: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet,* indicans etiam errata, quæ non sint ad mortem, abstergenda, ut interpretatur S. Bern. serm. de cœna Domini. « Lotus est, qui gravia peccata non habet, ejus caput, id est, intentio, et manus, id est, operatio munda est: sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, etc. » Ad hæc post confessionis lotionem facile iterum inquinamus pulvere aliquo pedes nostros. Itaque si gravis inquinatio sit, iterum lotio adhibenda: sin levis, detestatio saltem illarum noxarum levium et dolor. Denique abstersio satisfactionis addenda pro qualitate delictorum, ut lacrymarum et operum pœnallium. Quomodo enim alioquin pedes sordidissimi perfunctoria lotionem purgantur, levique satisfactione expiuntur? Scire velim, cur in numero discumbentium viri tantum censeantur ab evangelistis? Sic enim Joan. ait: *Discubuerunt viri quasi quinque millia;* Matth. expresse excipit mulieres et parvulos: *exceptis mulieribus et parvulis.* Cur hoc? Debiles sunt mulieres et parvuli, itaque significant ad hanc cœnam inidoneos esse, qui delicati nimis et debiles sunt ad abstergendas peccatorum sordes per opera pœnitentiæ. In mentem hic venit quod scribit Greg. Cedrenus de regina Saba, quæ ut experiretur Salomonis sapientiam, proposuit ei aliquot ephebos, partim pueros, partim puellas, virili omnes habitu, ut eos discerneret. Salomon jussit eos lavare faciem advertens interim, quinam ambabus manibus fortiter se abstergerent, quique delicate et subtiliter: illos agnovit mares, hos autem feminas. Quando ergo viri esse debent, qui ad hanc mensam sedere volunt, videat unusquis-

que, ut accurate et fortiter se lavet in confessione, abstergatque satisfactione. *Quam magna deliquimus, tam granditer deestamus,* ait. S. Cypr. serm. de laps. *alto vulnere diligens et longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit.* Virum se, non mulierem præbuit S. Margareta virgo, regis Hungarorum filia, quæ pridie communionis jejulare in pane et aqua solebat, totaque nocte in oratione pernoctare; ut in ejus vita P. Garinus ordin. Prædic. apud Sur. 28 Jan. Quod si hoc non placet, aliam tibi mortificationem indicito, v. g. refrænationem linguæ, abstinentiam a risu, uno vel altero cibo, actum humilitatis vel misericordiæ. Neque enim satis esse videtur ad dignam communionem, a sordibus abstersum esse, sed ornatus animæ insuper adhibendus, ut sponso nostro placeamus.

IV. Secessit in desertum locum, ut requiesceret pusillum, ut habet Marcus, c. VI. quo indicaret post confessionem non illico eurrendum ad s. communionem sine prævia alia præparatione et cogitatione quasi ad communem aliam mensam; hoc enim vetat apostolus sub gravi interminatione, si non discernamus mensam Christi a communi. Ergo secedendum in desertum cordis, et paulatim quiescendum, ac cogitandum quo iturus sis, et quomodo. Certe neque manna, quod typus solum eucharistiæ erat, datum nisi in deserto, et post consumptam Ægypti farinam, Exod. XVI. quemadmodum et Dominus in hodierno evangelio, non prius providit panes, quam turba suos absumpsisset. Quare si gustum s. mensæ volumus percipere, abstrahere nos paulisper a mundo ejusque illecebris debemus. Sed quid cogitandum? Sap. Prov. XXIII. ait: *Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ opposita sunt ante faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo.* S. Aug. tr. XLVII. et XLVIII. in Jo. « Quæ est mensa potentis, inquit, nisi unde sumitur corpus et sanguis ejus, qui animam suam posuit pro nobis? At quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid est considerare et intelligere quæ apponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam cogitare? » Hebræi accepto manna dicebant: *Manhu! Quid est hoc?* Dic hoc et tu, Christiane, majori admiratione. Cogita te fore convivam Christi, et sessurum ad ejus cœnam ultimam cum discipulis, quibuscum manducare desiderio desiderabat: quippe summe te dilexit, ita ut tui redimendi et exaltandi gratia de cœlo venerit, servilem formam induerit, vadem se pro te in divinæ justitiæ carcere constituerit, pœnam etiam mortis pro te sustinuerit, ut tu liber esses. Quo igitur non amore excipies talem hospitem? Habes hic me-

morale passionis ejus: quia sic seipsum morti quasi in escam tradidit, se sicut nunc tibi tradit; dat insuper tibi pignus salutis, et arriam gloriæ, in cœlo communicandæ.

Deinde veniet ad te juvenis ille cœlestis, gratissimus et speciosissimus, a cujus aspectu et sermone avelli non poterant fideles: qui sanabat omnes oppressos, benefaciebat omnibus se invocantibus, consolabatur omnes mœstos: cujus aspectu recreantur angeli et beati. Quot nunc dicunt: Oh! si potuissem Christum videre, eum habere præsentem, tangere, alloqui! Ecce habes, tange, alloquere, contuere, sicquæ cum gaudio eum excipe.

Deinde veniet ad te mortis triumphator, cui Pater omnia dedit in manus, qui salutem, vitam, et omnem tuam fortunam in manu sua habet, quique te ab omnibus malis tueri, omnibus bonis cumulare, et in æternum beare potest. Pete jam ab eo quod vis: effunde coram eo cor tuum: propitium tibi redde. Adest qui te juvare vult et potest in omnibus necessitatibus tuis. Sic eum suscipe cum spe et timore.

Veniet ad te, qui te vicissim vult manducare et in se convertere, te sibi unire et agglutinare, velut membrum vivum, et in gloriam suam transferre, statue ergo cultrum in gutture tuo, h. e. para te quasi ad mortem, et desidera post communionem mori, et vivere deinceps cum Christo, sicut petit Simeon: *Nunc dimittis, Domine, etc.* Immola te vicissim Christo per affectum et animi præparationem, vel etiam pro ipso moriturus. Sic cum desiderio eum suscipies.

Denique cogita forte hanc futuram ultimam tuam communionem. Sane Christus quando prædixit discipulis eam cœnam fore ultimam, nec amplius se cum eis cœnaturum, donec in cœlo convenirent, haud dubie magno amoris vulnere eorum animos sauciavit. Tu ergo si scires hanc tuam communionem fore ultimam, utique maxima cum devotione eam perageres: quemadmodum factum audivimus a sanctis morituris, et adhuc fieri cernimus a piis ægrotis in ultima communionem. Sic eum igitur suscipe quasi cras moriturus.

Ad extremum rape eum, et regem tuum constitue: præsta ei homagium ac juramentum, pone eum super cor tuum ut te in posterum regat, defendat, servet. Neque timendum tibi ne fugiat eam dignitatem Christus, sicut fugit temporalem, quinimo obviam tibi ibi sicut pater filii prodigi, libenterque tecum manebit, imo introducet te in regnum suum, ubi cum eo epuleris et læteris in omnem æternitatem.